

cæcitatibus, secundum quorundam opinionem, videlicet calamitate. Alii tamen datum obsidem fuisse censent, quum bellum esset Smyrnæis cum Colophonis; obsides enim Græcè *ὄμηροι* sunt. Ita non modò de Patria, Parentibus, seculo: sed etiam de nomine ipsius, Ambubajarum & Andabatarum more pugnantes,

Scriptores certant, & adhuc sub iudice lis est.

Cæterùm Homerus ita, ut dictum, à Cumæis repulsus: eis-
quæ, ne ab ullo unquam bono Poetâ celebrarentur, impre-
catus, Phocæam profectus est, carminibusquæ; in conventu
hominum recitandis, victum quæsiuit. Recepit eum Lu-
di Magister ejus oppidi, nomine *Thestorides*, alimenta, & ha-
bitationem pollicitus, si carmina, quæ faceret, sibi descri-
benda traderet. Fecit hoc *Homerus*. Ille verò, Scholâ, &
Alumno perfidè relictis, Chium se contulit: Homericisquæ
Carminibus, pro suis venditandis, laudem invenit, & lu-
crum fecit.

// /

// /

// /

Id quod quum Homerus rescivisset, in eandem Insu-
lam trajecit: ibiquæ; solus oberrans à caprario quodam Glau-
co benignè exceptus, & hero hujus commendatus fuit: cu-
jus quoque; filios ad tempus erudiit: componens ibi inter a-
lia poemata suavissima, *βαρταχουνομαχίαν*, in quâ in pri-
mis: solere Deum, qui, ut *Comici* verbis utar, quæ nos geri-
mus, auditquæ; & videt, seditionum autores, pacis Turbato-
res, *Catilinas* atquæ; *Cethegos*, severissimè punire. Fama au-
tem ipsius jam in civitate Chio percrebescente, *Thestorides*
profugit: Homerus Ludum ibi pueris aperuit: hominibus
admirationi fuit: victum, qui satis esset, (tunc enim Stu-
dia compepsabantur, & par ingenio pretium,) sibi compara-
vit: uxorem duxit, filiasquæ; duas ex eâ suscepit: quarum
una, innupta diem suum obiit: altera verò,

s. pastore

Jam matura viro, jam plenis nubilis annis,
civi Chio nuptum fuit collocata. Sic *Herodotus* quidem.